

1576 admodum censeretur; cum ab Iapigio promontorio sexaginta passuum millium intervallo, ab Epiro mille tantum distet: totidem enim a Buthroto, modo *Serpa* vocitato, ad pisciferos lacus, qui Venetæ ditioris sunt, numerantur. Viris muniendarum urbium peritissimis, militarique scientia illustribus adhibitis, multæ consultationes habitæ; cumque ea tempestate Ferdinandum Vitellium ceteris in ea arte præstare communi omnium consensu ac prædicatione censeretur, a Sabaudia Duce, cujus tunc stipendia merebat, ut ejus consilio atque opera in Corcyra munienda Respublica uti posset, Senatus petiit, ultroque obtinuit. Singulis rursus examinatis atque expensis, urbis ambitum ampliorem reddere, binisque arcibus, altera in monte, altera in planitie extantibus, priore, quam novam vocant, collem Divi Marci excipere, veterem aggere ac propugnaculis firmiorem reddere statutum. Ut ea exequerentur, Joanni Contareno, Corcyrae legato, munus tributum; Vitellioque eodem misso, magno apparatu ac sollicitudine opus coeptum. Id Venetorum consilium christianis Principibus, atque iis præsertim, quorum res agebatur, probatum maxime, ac pergratum fuit. Hispaniarum Rex, quantum ex Corcyra Italiae securitatis accederet, non ignarus, Senatus prudentiam summis laudibus extulit: cunctos christianos Principes una cum Venetis in eo necessario atque egregio opere desudare oportere, se quoque Reipublicæ minime defuturum affirmavit: ob idque ei a Senatu gratiæ actæ.

Joanni Contareno provincia Corcyrae munienda mandatur.

Antonius Ghirardius navem Hebræorum mercibus onustam Messanam ducit.

Philippus Rex navem Ghirardium captivum Reipublicæ ministris tradi jussit.

Alio quoque argumento haud obscure propensa illius in Rempublicam voluntas patuit. Nam Byzantio Antonius Ghirardius, navi, majori ex parte Hebræorum mercimoniis onusta, digressus, quæ Venetias delaturum se scripto, legato Veneto præsentem, obstrinxerat; cum, privati lucris gratia mutata sententia, ab itinere deflectens, Messanam se contulisset, opulentasque ac pretiosas merces asportasset: iis Byzantium perlatis, magna mercatorum commotio, ingens Turcarum clamor exortus est: Bassa indignari, negotiatores, ut ab legato damna sarcirentur, petere. Philippus, literis Senatus acceptis, statim navem restitui, Ghirardium captivum Reipublicæ ministris tradi jussit.

Hoc anno Maximilianus Cæsar non minus renum dolore cor-